



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An vitiatâ unâ parte Rescripti ob subreptionem, vitientur etiam aliæ partes ejusdem rescripti?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. V.

An vitiatâ unâ parte Rescripti ob subreptionem, vitientur etiam alie partes ejusdem Rescripti?

Si plures partes inter se separabiles rescriptum contineat, sive gratiæ, sive ad lites illud fuerit, & sub-vel obreptio circa causam finalem totius rescripti contingat, totum rescriptum est irritum, sive scienter, & per dolum, sive per ignorantiam, aut simplicitatem sub-vel obreptio contigerit, ex defectu scilicet voluntatis in concedente, concessionem suam huic causæ finali alligante. Si verò contingat subreptio circa unam partem tantum rescripti, & partes separabiles sint, nullum quidem erit rescriptum tale, circa omnes partes, si dolosè mendax fuerit circa causam finalem, aut substantialem expressam preceptor talis (in pœnam scilicet commissæ malitiæ) si partes tamen sint separabiles, & circa unam tantum partem subreptio per ignorantiam & simplicitatem contigit, validum erit rescriptum tale, circa illam partem, circa quam nulla subreptio contigit, tùm quòd utile per inutile vitari non debeat, tùm quòd taliter per ignorantiam aut simplicitatem errans nullam pœnam mereatur, ut dictum. Quin etiam probabile est, si plures gratiæ in eodem rescripto concedantur, ita tamen, ut nulla ab altera dependeat, aut alteri connexa sit, circa quam subreptio dolosè commissa fuit, quòd rescriptum tale circa gratiam quidem illam, circa quam subreptio commissa fuit, nullum sit, validum tamen sit circa gratiam illam, nihil cum altera connexam, circa quam nulla fuit com-

missa subreptio; tùm quòd censeantur virtualiter duo rescripta, & tantum unum materialiter, tùm quòd pœnæ extendendæ non sint, ergo etiam si quæ ad partes connexas noceat dolus commissus, non tamen nocebit, quoad partes non connexas argu. *c. si eo tempore 9. h. t. in 6.* nisi illa pars, circa quam dolus commissus non est, habeat se tantum ut accessorium quid ad alteram partem, circa quam dolus commissus est, quæ! Principalis pars habetur *c. constitutus 19. h. t.* cùm cadente Principali cadat etiam accessorium, argu. *Regula. 42. in 6.*

§. VI.

An motus proprius tollat vitium subreptionis in Rescriptis?

Rescripto motu proprio concessio opponi non potest vitium subreptionis ob tacitam veritatem necessariò explicandam *c. si motu proprio 23. de prebend. in 6. & Clement. si Romanus. 4. eod.* nocet autem illi, & nullum facit rescriptum tale, si vitium obreptionis commissum sit circa causam finalem, &c. in hoc enim casu clarè patet, concedentium intentionem deesse, quæ explicatis alligatur, quòd non patet in priore casu, cùm motus proprius non alligetur illis, quæ tacentur, & mereatur liberaliorem explicationem, ut operetur aliquid, Neque tamen motus proprius tollit inhabilitatem Personæ, aut inducit dispensationem circa ætatem V. G. defectum natalium, irregularitatem, incompatibilitatem beneficiorum, &c. uti colligitur, ex *Gloss. in relatum c. si motu V. non ob hoc.* & ex *Gloss. in relatum Clement. V. validum* (cùm motus proprius, quamvis libera-